DE

JUSTIFICATIONE PER FIDEM

QUID M. LUTHERUS SENSERIT

DEMONSTRATUR

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM

SUMME VENERANDI

pro licentia summos in s. s. theologia honores rite impetrandi
disceptandam ac defendendam

PROPONIT

CAROLUS THEODORUS GEROLD

S. S. THEOLOGIÆ BACCALAUREUS

ARGENTORATI

EX TYPIS G. SILBERMANN, IN PLATEA SANCTI-THOMÆ, 3

MDCCCLXVII

PRÆSIDE

VIRO SUMME COLENDO

TIMOTHEO COLANI

Moderabuntur solemne publicum examen
die mensis Martii, hora post meridiem
celebrandum,

TRIUMVIRI DOCTISSIMI

Timotheus Colani,
Fredericus Lichtenberger,
Fredericus Bruch,

s. s. theologiæ DD.

Almæ scholæ theologicæ argentoratensis pp. oo.

Satis notum est peculiarem theologiæ Lutheri indolem in illa præsertim doctrina sitam esse, quam ecclesiæ instaurandæ recte dixeris principium : hominem non legis operibus justificari posse, sed sola fide per Deum in cordibus excitata. Hujus vero universæ ecclesiæ instauratæ communis fundamenti quum in ipsa Lutheri theologia investigaveris origines atque causas, jam propriam deprehendes Lutheri mentem non solum a romanorum theologorum decretis, sed etiam a posteriorum ecclesiæ Lutheranæ doctorum sententia haud leviter discrepantem. Primum enim quum omnes fere posteriores theologi illam doctrinam in hunc torsisse sensum videantur, ut dicerent peccato demum hominis naturam sic esse corruptam et obcæcatam ut jam legis obedientia, qua certe si peccatum non intercessisset, fuisset justus, nunc quidem ad justitiam pervenire non possit, Lutherus negat legi ullum cum justitia coram Deo sive promerenda sive perdenda vel nunc esse vel unquam fuisse negotium. Lex enim ex sua sententia non hunc in finem a Deo homini præscripta est, ut ei viam justitiæ acquirendæ ostendat, sed potius ut peccatum patefaciat et augeat. Inde sequitur legem sine peccato vel ante peccatum omnino nondum adesse, quum non alio fungatur munere nisi ut peccati jam peracti suppeditet conscientiam et cognitionem. Deinde, quod attinet ad peccatum, hoc quidem Lutherus comprobat, peccato factum esse ut homo legi jam non respondeat; sed quanquam peccatum necessario fons sit operum legi contrariorum, tamen non propria peccati vis atque natura in transgres-

sione legis est posita sed in incredulitate et illa superbia, qua propriam homo habere vult voluntatem, propriis viribus sibi parare virtutem, justitiam, sapientiam. Denique quum posteriores ecclesiæ lutheranæ theologi fidem, qua sola justificetur peccator, in actu mere intellectuali ponere videantur, Lutherus docet fidem in illa resignatione atque perfecta sui abnegatione quærendam esse, qua homo vana fiducia expers et quasi in nihilum redactus, omnia sua a Deo derivet atque sese puram materiam creatori præstet, ex qua omnia quæ velit potest facere. Hanc vero fidem inanem et nudam esse negat; nam quia per fidem Christus accipitur, ita ut in nobis sit, novæque in nobis auctor fiat vitæ, fieri non potest, quin ex illa fide bona opera tanquam fructus efflorescant.

Hæc inter Lutheri posteriorumque theologorum sententias intercedit discrepantia. Nobis vero Lutheri doctrina eo magis visa est digna quæ investigetur, quod non solum ad primarium illud, quod est de justificatione per fidem, evangelicæ doctrinæ caput pertinet, sed etiam præ cæteris Lutheri genuinum revelat ingenium atque indicat quæ ratio Luthero cum suis successoribus intercedat. Jam vero ita disputationem nostram instituamus, ut primum inquiramus, quid intimum justitiæ efficiat nervum; sic demum perspici poterit, tum quæ peccati vis sit et natura, tum quis legis et cum justitia et cum peccato nexus genuinus. Deinde breviter demonstrandum videtur, quomodo tota Lutheri de salute conferenda doctrina cum illa de lege et evangelio cohæreat, et jam denique quærendum erit quomodo fidei vocabulum sit intelligendum.

§ I.

Justitiam ex Lutheri sententia neque lege facienda neque omnino operando, sed sola fide a Deo nobis indita parari, jam e justitiæ originalis sive imaginis divinæ descriptione luce clarius patet. Illam enim divinam imaginem, quam Lutherus non solum in animæ facultatum præstantia, in imperio in cæteras terrestres naturas exercendo, in pulchra corporis forma omniumque virium integritate, sed multo magis in facultate hominis Deum cognoscendi et diligendi, in recta voluntate atque in vita plane divina sitam esse docet, naturalem fuisse declarat Adamoque concreatam[1]. Consequitur itaque justitiam Adami neque legis cujusvis obedientia neque omnino operibus quibuscunque præstandis promerendam

[1] «Imaginem Dei sic intelligo, quod Adam eam in sua substantia habuerit, quod non solum Deum cognovit, et credidit eum esse bonum, sed quod etiam vitam vixerit plane divinam, hoc est, quod fuerit sine pavore mortis et omnium periculorum, contentus gratia Dei.» (Enarrat. in *Gen.*, Opp. ex. ed. Erl., I, 78.) — «Scholastici disputant, quod justitia originalis non fuerit connaturalis, sed ceu ornatus quidam additus homini tanquam donum, ut si quis formosæ puellæ coronam imponat. Corona certe non est pars naturæ virginis, sed quiddam separatum a natura, quod ab extra accedit, et sine violatione naturæ potest iterum adimi. Quare disputant de homine et dæmonibus, quod, etsi originalem justitiam amiserint, tamen naturalia pura manserint, sicut initio condita sunt. Sed hæc sententia, quia peccatum originis extenuat, ceu venenum fugienda est. Quin hoc statuamus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis : sed fuisse vere naturalem, ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deum, agnoscere Deum.» (Loc. cit., 208, 209.) — «Vide, quid sequatur ex illa sententia, si statuas justitiam originalem non fuisse naturæ, sed donum quoddam superfluum superadditum : an non, sicut ponis, justitiam non fuisse de essentia hominis, ita etiam sequetur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis ? An non igitur frustra est mittere redemtorem Christum, cum justitia originalis, tanquam aliena res a natura nostra, ablata est, et integra naturalia manent ?» (Loc. cit., 210.)

fuisse, sed totam operis divini niti bonitate, ita ut perfectiones istæ, fiducia scilicet in Deum, amorque et cognitio Dei non tanquam virtutes humanæ vel liberi arbitrii operationes, sed solius divinæ majestatis opera æstimari debeant. Etenim quæ homo ex dono naturæ habuit, jam non propriis viribus erant acquirenda. Voluntatis autem rectitudo, quam Lutherus justitiæ quasi robur laudat, non in eo habitu morali posita est, quo impulsus homo bona opera perficere voluit, sed eo potius, quod in Deum credidit ejusque summam bonitatem agnovit.

Hæc justitia originalis, quæ non ex operibus oritur, sed divinitus constituta tota operis divini nititur bonitate, a nulla pendet lege. Hoc gravissime quidem vidimus inculcare Lutherum, legem justo non esse positam. Quum enim opera legis sponte fiunt, lege non solum non opus est, sed etiam maxima esset insania, ea lege præscribi quæ jam e naturæ necessitate adsunt eaque vitari quæ sunt impossibilia. Velut soli imperari absurdum esset ut orbem illuminet, aquæ ut fluat, igni ut comburat, sic maxime supervacaneum vel adeo insanum bona a justo exigere opera. Nam quæ lege jubentur, illa jam ante legem vel sine lege in operatione bonorum adsunt[1].

[1] « Wenn ein Ding gehet als es gehen soll, darf es Niemand treiben; wenn es thut was man haben will, darf man nichts heissen, gebieten noch verbieten. Der Sonne darf man kein Gesetze geben, dass sie leuchte und am Himmel laufe, noch dem Wasser dass es fliesse... und müsste hie ein Narr sein, der sich unterstände solchs Alles zu gebieten. Weil es also umb einen Christen steht, dass er Alles thut, was das Gesetz haben will..... drumb du ihm so wenig gebieten kannst fromm zu sein, als man von eim Mann fordern kann, ein Mann zu sein, oder eim Weib, ein Weib zu sein, weil es also geschaffen ist. » (*Vom Missbrauch u. rechtem Brauch des Gesetzes*, ed. Erl., LI, 301, s.)

Quæ quum ita sint, facile patet legem sensu proprio ante peccatum cogitari non posse. Hæc ita Luthero hærent infixa, ut ne illud quidem mandatum de fructu arboris cognitionis boni et mali non comedendo protoplastis datum sententiam labefactare potuerit. Negat enim mandatum illud propriam legis habuisse vim et naturam, sed verbum Dei fuisse, evangelium quoque continens, hoc consilio Adamo propositum, ut haberet obedientiæ opus, « signum seu formam colendi Deum. » Hoc vero « opus obedientiæ » non sic accipiendum est quasi actionem significet lege exactam, sed propria illius mandati natura Luthero hæc est, quod « verbum sit atque ideo fidem sibi poscat[1]. »

Non est hujus loci, Lutheri de justitia originali doctrinam amplius persequi, hoc satis patet : justitiam non effici obedientia vel operibus legis.

§ II.

Apparet e supra dictis : nullum justitiæ cum lege esse negotium. Neque pendet a legis obedientia, sed tota nititur Dei bonitate; neque operibus efficitur præstandis, sed credendo constat atque fide in Deum habenda. Ex quibus necessario sequitur propriam peccati vim et rationem Luthero non in violatione legis divinæ, sed multo magis in fide illa Deo deneganda consistere. Quod etiam e peccati originis descriptione comprobari potest. Peccati enim originem Lutherus non in primigenorum hominum scelere quo præceptum Dei de non comedendo vetitæ

[1] Enarrat. in *Genes.*, I, 119, 194.

arboris fructu violarunt, sed in fide illa in Dei bonitatem concussa quærit. Satanas serpentis forma indutus voluntatem Dei bonam erga hominem protoplastis reddit suspectam, atque dubitationem de verbo a Deo accepto in corda inserit. Huic simulac Heva aures præbuit, jam peccatum adfuit. Ista enim ratione firmissima promissionis divinæ fiducia defecit, atque alio verbo animum advertit. Itaque a verbo divino discedens, novum sibi creavit Dei cultum, merumque figmentum atque idolum in corde erexit.

Unde perspicitur, dubitationem de verbo Dei sive incredulitatem verum fontem esse ex quo profluunt omnia peccata[1]. Id quod non solum in originale cadit peccatum a protoplastis commissum, sed propriam Lutheri exprimit de peccato experientiam et doctrinam. Neque illam supra expositam de Adami justitia, neque hanc de lapsu cognitionem aliunde hausisse profitetur, nisi ex præsenti peccati miseria. Nunc quoque fideles iisdem prorsus quam Adam et Heva vexantur tentationibus. Semper enim de bona Dei erga nos voluntate agitur quum diabolus movet dubitationem num re vera voluerit Deus nos morte et peccato oppressos salvari per

[1] Nos, si ista, uti debent, paulo diligentius considerabimus, inveniemus summam et acerrimam omnium tentationum hanc fuisse, quia serpens invadit ipsam voluntatem Dei bonam, et nititur ex interdictione arboris probare, Dei voluntatem erga hominem non esse bonam. Sollicitatur enim Heva simpliciter ad omnia peccata, cum contra verbum et voluntatem Dei bonam sollicitatur. — Ad hunc igitur modum Adam et Hevam petit hic Satan, ut verbum eis eripiat, et ut mendacio credant, amisso verbo et fiducia in Deum. Hoc cum accidit, quid mirum est postea fieri superbum? esse contemtorem Dei et hominum, fieri adulterum, homicidam? Vere igitur hæc tentatio caput omnium tentationum est, quæ secum affert ruinam seu violationem totius Decalogi. Fons enim omnium peccatorum est incredulitas; hanc cum Satan excusso aut depravato verbo excitavit, nihil ei non facile est.» (Enarr. in *Gen.*, Opp. ex., I, 184, 185.)

Christum. Omnino quidem hæc, qua Satan verbum Dei petit, propria est ecclesiæ et sanctorum tentatio[1].

Intima igitur peccati vis atque radix est incredulitas. « Hoc maximum præcipuumque animæ est vitium, ex quo omnes aliæ calamitates spirituales — desperatio, odium, blasphemiæ — necessario profluunt, quod amissa est recta illa cognitio Dei, ex qua Deo confidimus, gratias agimus, delectamur ejus operibus. » Hæc animæ vitia longe majora sunt quam concupiscentia corpus defœdans, quæ partem tantum peccati originalis efficit. Verbo demum et spiritu divino amisso fieri potest ut concupiscentiam atque carnis impetus sequamur. Fons igitur peccati supremus atque perpetua miseræ nostræ conditionis causa hæc est, quod fides Dei sublata est[2].

§ III.

Facile patet ex præcedentibus, neque justitiam effici legis obedientia, neque peccatum ejus violatione. Quæ quum ita sint, jam quærendum erit quonam modo Lu-

[1] « Sicut Heva, cum audit Diabolum in dubium vocare mandatum Dei, periit; ita nos cum dubitamus, num voluerit Deus nos, morte et peccato oppressos, salvari per Christum. » — « Hæc tentatio longe est gravior et periculosior, et propria ecclesiæ et sanctorum. » (Loc. cit., 187, 185.)

[2] « Sophistæ cum de peccato originis loquuntur, tantum de misera et fœda libidine seu concupiscentia loquuntur. Sed peccatum originale est vere totus lapsus naturæ humanæ, quod est intellectus obscuratus, ut non agnoscamus amplius Deum et voluntatem ejus, ut non animadvertamus opera Dei; deinde quod etiam voluntas mire est depravata, ut non fidamus misericordiæ Dei, ut non metuamus Deum, sed securi, omisso verbo et voluntate Dei, sequimur concupiscentiam et impetus carnis; item, quod conscientia non amplius tranquilla est, sed cum de judicio Dei cogitat, desperat, sequitur et quærit illicita præsidia et remedia. » — « Est quidem furor libidinis pars quædam peccati originalis. Sed majora sunt illa animi vitia, incredulitas, ignorantia Dei, desperatio, odium, blasphemia. Has calamitates spirituales Adam in statu innocentiæ nescivit. » (Loc. cit., 142, 143.)

therus legis et cum justitia et cum peccato statuere possit nexum, qualia sint opera lege præcepta, et quo sensu ab homine requirantur. Utrumque ut rectius intelligamus, memores esse debemus hanc duplicem esse legis rationem ut modo insitam internamque agendi significet regulam, modo externam quæ bona præcipit malaque prohibet formulam. Constat vero apud Lutherum semper fere vocem legis ad hanc formam esse referendam, quæ bona exigat, arguat peccata. « Lex, inquit, est præcipiens quales nos esse, quid facere, quid omittere oporteat... requirens obedientiam ac denuncians iram et pœnas. — Legis vox hæc est : hoc facias, hoc ne facias ; atque in summa : præsta obedientiam aut sustineas iram Dei et pœnas. » Omnia igitur legis illa notione continentur præcepta, quæ ad regendam hominum actionem pertinent et, ad auctoritatem divinam provocantia, certam vivendi rationem tanquam ad salutem necessariam præscribunt. Itaque una tantum lex exstat, ad quam omnia referri debent quæcumque aut bona imperant aut mala prohibent, cum Mosis leges prophetarumque mandata, tum Christi præcepta apostolorumque admonitiones ad vitæ sanctitatem exhortantes, omnino omnia jussa, sententiæ, ordinationes, constitutiones in omnibus veteris novique Testamenti voluminibus sparsa, quæ aut opera exigunt aut iram et mortem revelant. Summa autem legis, in qua tota comprehensa est, atque norma, ad quam omnia præcepta interpretanda et corrigenda sunt, nihil aliud est nisi illa sententia : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et proximum sicut te ipsum. Unde cernitur legem non tantum externam poscere actionem vel certa distinctaque exigere opera, sed perpetuam et perfectam requirere obedien-

tiam, quæ totam vitam legi dedicet implendæ, non externæ operationis simulatione, sed lubente hilarique animo. Omnino legi non sufficit ut ex opere operato fiat, sed amari vult atque amore observari [1].

Ex hac vero legis notione satis confirmata jam dilucide sequitur legis præcepta non hunc in finem proponi posse, ut viam justitiæ acquirendæ ostendant peccatori. Homo enim quum naturam habeat peccato perversam, jam minime aptus est ad opera efficienda quæ ex amore Dei proximique oriuntur, sed maxime ea appetit quæ Deo displicent atque legi divinæ contraria sunt. Itaque lex, quæ tota versatur in exigendo atque Deo omnia nostra vindicando, nihil aliud facere potest nisi ut peccatori demonstret bonis se destrictum esse operibus, iramque Dei annuntiet atque pœnam æternam, quod ea non adsint quæ Deus ab hominibus exigit, ea vero adsint, quæ quum legis operibus sint contraria, tum malam patefaciunt voluntatem a Deo aversam.

Ergo lex tanquam firmissimum adest peccati testimonium. Nam « velut speculum est, in quo homo se ipsum consideret, in quo et quantum deficiat. » Decalogo spiritus sanctus nobis miseriam nostram revelat « quasi diceret : o miser homo, ecce tuam tibi ostendo pravitatem. Talis esse deberes... nunc autem es totus alius et perversus ! » Hanc vero cognitionem ita efficit lex, ut quamvis jam primum præceptum omnia contineat quæ peccati nos satis possint convincere, tamen singula plura

[1] « Das Gesetz will das Herz haben und williglich vollbracht sein, dass man nicht allein sage Werke des Gesetzes, sondern auch Herze des Gesetzes, nicht allein Hand des Gesetzes, sondern auch Wille, Muth und alle Kräfte des Gesetzes. » — « Es begnügt sich nicht mit äusserlicher Lehre und Schein, sondern greift hinein ins Herz und richtet den Menschen nicht allein nach dem äusserlichen Wandel, sondern nach dem Grund seines Herzens. »

proponat opera, quæ superbiæ nostræ justitiam sibi arroganti evidens de se ipsa perhibeant testimonium. Peccati autem ita nos convincit, ut ostendat abesse caritatem seu voluntatem liberam bonis operibus perficiendis aptam. Ergo alio non lex fungitur munere nisi ut peccatum et patefaciat et augeat, et peccatores accuset, condemnet, occidat[1].

Hic denique usus atque effectus legis, quem Lutherus vocat « theologicum seu spiritualem, » funditus perniciosissimam illam justitiæ ex legis operibus conciliandæ opinionem potest tollere[2]. Qui enim legi ex lege velit respondere, i. e. operibus suis, se ipsum legi prodit vinctum, nam neque unquam legi potest satisfacere,

[1] « Nu ist noch ein Brauch.... dass das Gesetz die Sünde erkennen lehrt, nämlich dass eitel Sünde an uns ist, was wir sind und thun; dass ein Mensch auch nichts denken, begehren und reden kann, es ist Alles wider Gott und verdampt. » (*Vom rechten Brauch des Gesetzes*, ed. Erl., LI, 298.) Cf. *Auslegung von Psalm XXII:* « Mit der Sünde ists auf zweierlei Weise gethan; erstlich indem die Sünde vollbracht wird, fühlen wirs nicht, dass es Sünde ist.... Darnach wenn das Gesetz kommt, so wird die Sünde lebendig, das Gewissen unruhig und ist kein Frieden in uns. Das ist die Erkenntniss der Sünde durch das Gesetz und die Offenbarung des geistlichen Gesetzes. » — « Legis non est justificare et vivificare, sed ostendere peccatum et occidere. » (Comm. in *Gal.*, II, 8.)

« Lex etiam lux est, quæ lucet et ostendit, non gratiam Dei, non justitiam et vitam, sed peccatum, mortem, iram et judicium Dei. Nam sicut in monte Syna tonitru, fulmen, nubes caliginosa, mons fumigans et ardens, et tota illa terrifica facies non exhilarabat nec vivificabat filios Israel, sed perterrefaciebat, reddebat fere exanimes, et ostendebat, quam non ferre possent cum omni illa sua sanctitate et munditie præsentiam Dei loquentis e nube : sic lex, quando in suo vero usu est, nihil aliud facit, quam quod revelat peccatum, efficit iram, accusat et perterrefacit homines, ut non procul absint a desperatione. Is proprius est usus legis, hic finem habet, nec amplius progredi debet. » (Loc. cit., 67, 68.) Cf. 70, 89, 93 et passim.

[2] Lex est, « Hercules ille, qui monstrum justitiæ toto impetu adoritur, prosternit, conficit » ; hæc « malleus mortis, tonitru inferni et fulmen iræ divinæ, conterens induratos et insensatos hypocrytas. » (Loc. cit., 62, 63.)

neque omnino agere quidquam quod legi non sit contrarium. Necessario igitur lege manente in conspectu, conscientia manet impura, malis blasphemisque in Deum vexamur cogitationibus. Legem enim intuentes, quæ et nos Deo et Deum nobis monstrat aversum, Deum non possumus non fingere judicem peccatoribus iratum, legis vindicem atque ultorem, qui ex operibus nostris malis nos sit judicaturus[1]. Hoc ergo patet, si quid exstat quod salutem peccatori afferre possit, id cum a legis tum ab operum ratione prorsus debere esse alienum. Nam neque ea debet damnare quæ habemus, neque exigere quæ nullo modo possumus præstare. Ad hanc vero normam Lutherum formasse notionem evangelii, statim elucebit, si paucis hanc gravissimam ejus de evangelio a lege recte discernendo doctrinam proposuerimus.

§ IV.

Sub lege hæc est miserrima nostra conditio, quod Deus per legem a nobis exigit opera quæ non habemus, et damnat quæ possidemus quum illis sint contraria. Evangelium propterea salutem conferre potest, quod non opera exigit humana, sed tota est in dando atque condonando. Deum revelat non talem qui omnia nostra sibi vindicet, sed qui cuncta sua nobis gratis dare velit.

[1] «Wo Gesetz ist, da ist auch Sünde; wo Sünde ist, da ist ein bös unrein Gewissen. So lang du nun Sünde machst und das Gesetz ansiehst, so lang siehst du Gott nicht, denn du hältst ihn für einen zornigen Richter. Das heisst aber nicht Gott sehen, sondern einen Henker und Stockmeister sehen. So kann ihn Niemand sehen wie er ist, denn der des Gesetzes los ist. (Ed. Erl., LI, 285.)

Quum igitur lex omnes ad Deum aditus operibus quodammodo præmuniverit, jam novam plane atque inauditam evangelium aperit salutis viam, docens vitam justitiamque non operibus promerendam, sed gratis accipiendam [1].

Quomodo vero cum tanto legis et evangelii discrimine, ut simul in homine consistere nequeant, conciliari potest utriusque dignitas divina? — Hæc legis cum evangelio necessitas ex amoris divini consilio derivanda est. Quamvis enim officio effectuque maxime inter se differant, tamen ad eundem amoris divini finem tendunt. Iste enim effectus legis, ex quo peccatorem prosternit atque occidit, non ultimus Dei est finis, « sed utitur ista morte in bonum usum, scilicet ad vitam. » Sane in hunc finem a Deo lex est ordinata ut conscientiæ pavoribus nos percellat, humiliet, ad nihilum redigat : minime vero Dei est consilium ut maneamus in desperatione. Propterea lex humiliat, ut « humiliando faciat gementes, suspirantes et quærentes manum mediatoris, atque sic Christi reddat capaces. Dulcia enim non meminit, qui non gustavit amara. Ut ergo terra arida pluviam sitit, sic lex perturbata corda facit sitire Christum. » Lex redigit ad nihilum, ut ex hoc nihilo creator omnipotens ad sui similitudinem nos possit recreare. Hæc enim est Dei natura, ut neque se communicare velit nisi humilibus,

[1] Legis activa est justitia, quæ tum in Dei præceptis tum in nostris operibus versatur; evangelium justitiam nobis affert ab omnibus justitiæ legalis generibus diligentissime secernendam, quam recte appellaveris passivam. Nam quum Deus eam absque operibus imputet, jam ibi nihil operamur aut reddimus Deo, sed tantum recipimus et patimur alium operantem in nobis, scilicet Deum. — Illa legis justitia terrena est, de terrenis agit, terrena exigit opera; hæc evangelii cœlestis atque divina, quam non habemus, sed ex cœlo accipimus, non facimus, sed fide apprehendimus, per quam ascendimus supra omnes leges et opera. (Cf. Com. ad. *Gal.*, I, 14, 18.)

neque accipi possit nisi ab humiliatis atque eo miseriæ lege actis ut sua omnia desperaverint. Nam Deus est « deus humilium, miserorum, afflictorum, oppressorum, desperatorum et eorum, qui prorsus in nihilum redacti sunt. » Itaque hoc est Dei maxime proprium « miseros et afflictos consolari, mortuos vivificare, desperatos et damnatos salvare. » Ad hoc vero opus suum proprium pervenire non potest, nisi antea propriæ justitiæ opinionem, « quæ non vult esse peccatrix, immunda, misera et damnata, sed justa sanctaque, » lege fregerit et contuderit. Neque vitam potest conferre nisi mortuis, neque solatium nisi contristatis, neque gratiam nisi damnatis. Itaque iis tandem evangelium hæc omnia Dei dona potest offerre, in quibus lex munere suo sit perfuncta. Hæc igitur consilii divini est ratio, ex qua summum jus suum lex derivat, ut lex operationi gratiæ nos præparet[1]. Huic quatenus legis præcepta inserviunt, non opera præcipiunt, sed hominem parant Deo velut materiam in qua operetur; ex qua Dei operatione, a cordis anxietate liberatus, animi, oris et operis dulcissimam percipit quietem. Hoc vero quum per evangelium efficiatur, jam lex atque evangelium inseparabiles ejusdem divini verbi sunt partes, tam arcte conjunctæ, ut neque lex sine evangelio, neque evangelium sine lege salutem homini possit conferre. Quum vero lex occidat, evange-

[1] « Lex ostendit hominem sibi ipsi, quod sit peccator, ergo reus mortis et dignus æterna ira. Ad quid prodest ista humiliatio, contusio et contritio per istum malleum, legem scilicet? Ad hoc prodest, ut gratiæ pateat ad nos aditus. Sic ergo lex ministra et præparatrix est ad gratiam. Nam Deus est Deus humilium, miserorum, afflictorum, oppressorum et eorum, qui prorsus in nihilum redacti sunt, ejusque natura est exaltare humiles, cibare esurientes, illuminare cæcos, miseros et afflictos consolari, peccatores justificare, mortuos vivificare, desperatos et damnatos salvare etc. (Com. in *Gal.*, II, 70.)

lium vivificet, jam lege alienum, evangelio proprium suum Deus exercet opus, intimamque mentis suæ aperit voluntatem non in exigendo sed dando versantem[1].

§ V.

Etsi vero Evangelium, quod totum versatur in dando atque condonando, amoris divini respondet naturæ, tamen quum legem jure divino quo pollet non privare potest, conscientiam etiam pacare nequit, nisi talia nobis afferat quibus legi ita sit satisfactum ut neque postulare quidquam neque reprehendere possit in credentibus. Itaque evangelium propterea salutem nobis conferre potest, quia nobis Christum offert, qui legi satisfecit atque a legis servitudine nos liberavit.

Omnem operis Jesu Christi salutaris vim Lutherus ex divina ejus derivat natura, propter quam legi non subjectus erat. Hac Christi libertate totum ejus nititur meritum, tota ejus satisfactio. Hæc vero meriti notio quamvis ab Anselmo ducat originem, tamen ab Anselmi sententia est remotissima[2]. Hic enim primarium

[1] «Nisi diserte discernatur evangelium a lege, non potest salva retineri doctrina christiana. Contra cognita hac distinctione cognoscitur vera ratio justificandi, tumque facile est discernere fidem ab operibus, Christum a Mose. Omnia enim extra Christum sunt ministerium mortis, ad vindictam malorum.» (Loc. cit., 68, 69.)

[2] Ipsum vocabulum satisfactionis ex usu ecclesiæ tollendum restituendumque judicavit jurisconsultorum disceptationibus ac foro, unde in ecclesiam irrepsisset. «Das Wort *satisfactio*, Genugthuung, haben wir ihnen zu Willen lassen hingehen, der Hoffnung, ob wir sie könnten mit Glimpf zu der rechten Lehre bringen, doch mit dem Verstand, dass es heisse, nicht unsere Genugthuung, wie wir denn in der Wahrheit keine haben, sondern

Christi meritum ejus morti tribuit, quoniam mors ejus opus erat supererogatorium, quo tantundem retribuerit Deo, quantum peccatum detraxit. Id non fieri poterat per activam obedientiam, quippe quam ipse Christus, quatenus rationalis creatura erat, Deo jam debebat, sed sola morte cui neque ex necessitate obnoxius erat, neque ex debito, sed quam subiit libera voluntate. Mors igitur Christi quippe quam divinæ justitiæ non debebat meriti causa fuit.

Ubi est debitum, ibi nullum potest esse meritum; sed quum lex ad hominem tantum pertineat peccatorem, jam Christus innocentissimus et sanctissimus legi prorsus nihil debuit. Itaque meriti notio neque ad mortem restringenda, sed ad totam Christi vitam et mortem est trahenda, neque omnino sibi aliquid promeruit Christus,

Christi, damit er für unsre Sünde durch sein Blut u. Sterben bezahlt, u. Gott versöhnet hat. Weil wir aber bisher so oft erfahren, u. noch vor Augen sehen, dass mit keinem Glimpf nichts bei ihnen zu gewinnen ist, u. sie nur je länger je ärger fortfahren, der rechten Lehre zu widersprechen, so wollen u. müssen wir uns auch rein von ihnen ausschälen u. sondern, u. von ihren erdichteten Worten, so sie in ihren Schulen aufgeworfen, u. jetzt nur suchen, ihre alten Irrthümer u. Lügen damit zu bestättigen, nichts mehr wissen. Darum soll auch dies Wort, Genugthuung, in unsern Kirchen u. Theologie förder nichts u. todt sein, u. dem Richteramt und Juristenschulen, dahin es gehört, u. daher es auch die Papisten genommen, befohlen sein.» (*Predigt am Osterdienstage. L. Werke.* Erl., XI, 280.) — Parum valere hoc satisfactionis vocabulum, etiamsi prudentius quam a Cypriano aliisque factum esset, adhiberetur solisque Christi operibus attribueretur, ad ea, quæ Christus nobis omnia peperisset, digne complectenda. «Und ob man gleich das Wort Genugthuung wollte behalten u. dahin deuten, dass Christus hat für unsre Sünde genug gethan; so ist es doch zu schwach u. zu wenig von der Gnade Christi geredet, u. das Leiden nicht genug geehret, welchem man muss höhere Ehre geben, dass er nicht allein für die Sünde genug gethan, sondern uns auch erlöset von des Todes, Teufels u. der Höllen Gewalt, u. ein ewig Reich der Gnaden u. täglicher Vergebung auch der übrigen Sünde so in uns ist, bestätigt; u. also uns worden, wie S. Paulus, I Cor., 1, sagt, eine ewige Erlösung und Heiligung.» (Loc. cit., 296, 297.

sed nobis omnia. Hæc enim erat Christi natura et conditio ut neque justitia, neque salus, neque vita æterna, nec ullum omnino bonum ei essent promerenda, quum omnia jam ab æterno possideret. Quia igitur Deo nihil debebat, jam omnia quæ perfecit opera, sic abundant, ut quum eis ipse non egeat, in omnibus aliis redundent, quibus ea impertire velit. Itaque Christus cum tota vita sua, cum partu, operibus, morte, resurrectione, totus est nostrum meritum[1]. Id quod sequentia magis illustrabunt.

Christus divino quo erat amore quum consilium cepisset nos peccatores salvandi, id nulla alia ratione potuit perficere, quam ut carne assumpta totam nostram subiret miseriam. Hæc vero tota quum ex lege pendeat, legis suscipere debuit jugum. Quamvis quidem per se, quum Dei sit filius atque natura sua dominus legis, non esset sub lege, tamen sua sponte se legi subjecit, ut nos qui sub lege captivi tenemur, redimeret. Id quod duplici fecit ratione : primum enim omnia legis perfecit opera, quæ a nobis requiruntur; deinde vere omnem legis passus est tyrannidem quam « theologico vel spirituali usu suo » exercet[2]. Quum vero hanc in nos qui-

[1] « Sed quo merito accepimus istam benedictionem, hoc est, filiationem et hereditatem vitæ æternæ? Nullo. Quid enim homines conclusi sub peccatum, obnoxii maledicto legis et rei æternæ mortis, mererentur? Gratis igitur et indigni, non tamen sine merito ista accepimus. Quod est illud meritum. Non nostrum, sed Jesu Christi, filii Dei, qui factus sub legem non pro se, sed pro nobis, redemit nos, qui sub lege eramus. Quare istam filiationem accepimus sola redemtione Jesu Christi, filii Dei, qui est nostrum abundantissimum et æternum meritum, sive de congruo sive de condigno. » (Ep. ad. *Gal.*, II, 158.) — Quibus illustrandis inserviunt etiam quæ Lutherus ad *Gal.*, III, 13, notat. Cf. *Comm.*, II, 30.

[2] « Hæc itaque verba : Christus factus est sub legem, ut valde sunt significantia, ita diligenter expendenda sunt. Indicant enim filium Dei sub lege factum non tantum unum atque alterum opus legis fecisse, aut tantum civi-

dem jure lex exerceat, quia omnes natura sumus peccatores, jam quomodo in Christum innocentissimum et sanctissimum, qui nihil legi debet, æque sævire possit, intelligi nequit nisi ex legis atque peccati ratione supra exposita. Lex enim atque peccatum quum inseparabili cohæreant nexu, jam Christus legi sese subjiciens non externam tantum peccatoris subiit similitudinem, sed intimam peccatoris suscepit conscientiam. Unde perspicitur quomodo Lutherus jure meritoque dicere possit, Christum peccatorem adeo omnium peccatorum summum factum esse[1]. Nam quum lex in conscientia peccati efficiat cognitionem, Christus legi subjectus, quamvis natura esset justus, tamen peccatoris subiit conditionem. Id vero non patrum more de externa specie accipiendum est : quodammodo simulasse peccatum, quo falleret diabolum, quibus Lutherus vult multo majora ac Christo magis digna[2]. Conscientia enim peccator constitutus,

liter sub ea fuisse, sed omnem legis tyrannidem passum fuisse. Lex enim in summo suo usu invasit Christum etc.» (Loc. cit., 155 ss.)

[1] «Et quidam omnes prophetæ viderunt hoc in Spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus etc., quo nullus major unquam in mundo fuerit.» (Loc. cit., 14.)

[2] Pactum ac conventum fuisse, id quod inter patres solenme erat, ut suam Christus diabolo offerret animam, qua accepta diabolus hominum animas manumitteret, apud Lutherum non exstat, nec ille quod persolvendum erat, id pretium diabolo persolutum exhibet. Neque quo a patribus, eodem a Luthero diabolus deceptus fertur errore : apud patres diabolus vel cum in animam Christi, quam omnium præstantissimam videbat, incitaretur, sua ipsius cupiditate deceptus reliquas amisit, vel quamvis accepisset, cum non posset tenere Christi animam, tam, quæ sua erat, infirmitate circumventus, quam Christi vi coactus ac pressus, veluti ex composito, omnium animas dimisit. Apud Lutherum vero res non quiete componuntur, contenditur potius ab utraque parte, conferuntur arma, prœlio decernitur. Etenim quibus nos subjecti atque oppressi tenebamur dominis ac tyrannis, quorum ingens est copia, hos sibi omnes concitavit Christus hostes, hi omnes vi atque armis in Christum impetum fecere, ut illum servum et captivum abducerent. Concurritur : hostes quantum possunt, suis quisque et armis et artibus, in Christum

peccatum non habuit alienum quid, sed quasi ipse perpetrasset. Sic ipse sensit, sic habere voluit, sic denique peccata mundi professus est quasi essent sua. Sic peccati factus conscius, etiam omnem legis tulit sævitiam : conscientiæ gustavit pavores, Deum habuit iratum, diabolum in se irrumpentem, mortis atque inferni vim expertus est. Attamen in hac acerrima luctatione justitia ejus divina remansit invicta. Frustra lex omnes socios suos adducit in Christum : lex creatura cum creatore, peccatum cum justitia, mors cum vita, maledictio cum benedictione congrediuntur atque summo impetu dimicant, sed quum tantis legis cruciatibus vexatus nullum commiserit peccatum, nullum in Deum jactaverit convicium, nullam blasphemiam, jam non solum omnes illi hostes devincuntur atque delentur, sed etiam lex penitus exhausta ipsa propter tot tantaque flagitia in innocentem commissa in jus vocatur. Quum vero tanta Christum affecerit injuria quæ et nostra peccata omnia superet, et ipsa sit peccatum prorsus irremissibile, jam suo ipsius jure quod ipsa sancivit lex evertitur atque cum ipso Christo cruci affigitur.

Itaque Christus legi non solum omnia ejus jura præstitit, sed etiam prorsus eam vicit atque delevit. Cum

exercent, nervos omnes contendunt, vim omnem ei inferunt, ut cui imperio universum genus subactum jacet ac laborat, Christum quoque subigant. Quo in prœlio, quod in ullo genere versatur vel juris vel potestatis, quominus in Christum instruat, contendat, nemo hostium prohibetur, sed quæ quisque tela tenet, ea omnia in Christum mittuntur. At vero quibus homines mancipia habentur, vincti tenentur, interituri occumbunt, cum hæc omnia in Christum instruuntur, Christus ipse, deposita armorum fortitudine ac strepitu, postquam blandimenta atque illecebras repudiavit, acerbitatem vero omnemque ab hostibus concitatam vim dolorum ac laborum suscepit, et ipse tum de omnibus reportat victoriam cum interiturus videtur, et hostes tum spoliantur cum suam ipsorum vim ad extremum usque consecuti videntur.

lege autem omnia nostra evanuerunt mala, socii legis victi sunt atque jure suo destituti, ut recte possis dicere, nullum amplius exstare peccatum, mortem, diabolum, infernum, legem. Hæc omnia vero quum non sibi fecerit Christus, sed nobis, jam nulla alia re opus est nisi fide ut hæc tota Christi cum lege ratio fiat nostra.

§ VI.

Ut Christi merita nobis imputari queant, ex parte nostra fides adsit necesse est, qua illa apprehendimus ac velut nostra facimus. Jam vero diligenter expendendum est quomodo fidei vocabulum sit intelligendum. Fidem enim hic intelligere nos oportet non historicam notitiam et inanem persuasionem de totius religionis christianæ divinitate et veritate vel actum mere intellectualem, sed intimam animæ affectionem et firmissimam fiduciam Dei misericordiæ in Jesu Christo revelatæ, immo vero apprehensionem Domini Jesu Christi, ita ut anima ei adhærens, intima cum eo coalescat communione. Neque autem cum posterioribus theologis fides ad singula tantum obedientiæ vel activæ vel passivæ opera trahenda est, sed ad totam Christi personam, quam hac terra egit. Cum tota enim vita Christus, cum partu, baptismo, operibus, morte, totus est nostrum meritum. Itaque fides Christum totum et indivisum apprehendit et includit, ita ut per fidem in nobis habitet, ipseque nostra sit vita, sapientia, justitia et sanctitas [1].

[1] « Fides christiana non est otiosa qualitas vel vacua siliqua in corde quæ possit exsistere in peccato mortali, donec caritas accedat et eam vivificet, sed si est vera fides, est quædam certa fiducia cordis et firmus assensus, quo Christus apprehenditur, ita ut Christus sit objectum fidei, imo non ob-

Genuina vero commercii illius hæc esse ratio videtur, quod per fidem Christus cum omnibus ejus bonis atque operibus in animæ locum succedit. Itaque per fidem fit, ut non tantum singula operis Jesu Christi salutaris commoda in nos redundent, sed ut ipse Christus peccatricem nostram suscipiat personam et nobis suam purissimam et innocentissimam donet. Omnia igitur quæ Christus perfecit, dixit, tulit, passus est, jam illa commutatione per fidem facta sic reputantur quasi anima humana cuncta illa perfecisset atque tulisset; omnia autem quæ anima habet mala et peccata sic Christo respiciuntur imposita ut, quum in illo exstincta atque deleta sint, jam prorsus evanuerint. In hac commutatione efficienda Lutherus peculiarem fidei christianæ vim ponit [1].

jectum, sed, ut sic dicam, in ipsa fide Christus adest.» (Comm. in *Gal.*, I, 191.) — «Fides apprehendit Christum, et habet eum præsentem inclusumque tenet ut annulus gemmam, et qui fuerit inventus hac fiducia apprehensi Christi in corde, illum reputat Deus justum.» (Loc. cit., 195.)

[1] «Fides pure est docenda, quod scilicet per eam sic conglutineris Christo, ut ex te et ipso fiat quasi una persona, quæ non possit segregari, sed perpetuo adhærescat ei, ut cum fiducia dicere possis: Ego sum Christus, hoc est, Christi justitia, victoria, vita etc. est mea; et vicissim Christus dicat: Ego sum ille peccator, hoc est, ejus peccata, mors etc. sunt mea, quia adhæret mihi, et ego illi, conjuncti enim sumus per fidem in unam carnem et os, Eph. 5: «Membra sumus corporis Christi, de carne ejus, et de ossibus ejus,» ita ut hæc fides Christum et me arctius copulet, quam maritus est uxori copulatus.» (Loc. cit., 247.) — «Summa, Grund und Boden meines Herzens wird verneuert und geändert, dass ich gar ein neu Gewächs werde, gepflanzt in dem Weinstock Christum, und aus ihm gewachsen. Denn meine Heiligkeit, Gerechtigkeit und Reinigkeit kompt nicht aus mir, stehet auch nicht auf mir, sondern ist allein aus und in Christo, welchem ich eingeworzelt bin durch den Glauben — und bin nu ihm gleich und seiner Art, dass beide, er und ich, einerlei Natur und Wesens sind, und ich in und durch ihn Früchte trage, die nicht mein, sondern des Weinstocks sind.» (*Ausl. des 14., 15. u. 16. Kap. Johannis.* L. Werke, Erl., XLIX, 296.) — «Tu, domine Jesu, es justitia mea, ego autem sum peccatum tuum: tu assumsisti meum et dedisti mihi tuum....» (De Wette, *Luthers Briefe*, I, 17.)

Ex hoc fidei jure, quod omnia Christi ei imputentur tanquam sua, etiam tota ejus justitia fieri debet nostra. Nos illa quæ legi præstitit opera perfecisse, nos pœnas cruciatusque quos peccatorum loco subiit, passos esse, nos denique victoriam quam de morte maledictioneque reportavit, tulisse judicamur. Itaque plane liberi sumus a lege; neque ea nos potest damnare, Christus adest enim redemtor; neque quidquam in nobis reprehendere, Christi enim nostra est obedientia; neque denique nobis imperare, Christus enim lege multo est superior. Itaque conscientia non solum legis accusationes recusare, impetu ejus non moveri, ejusque imperium rejicere debet, sed etiam legem prorsus ignorare, quasi nunquam fuerit. Cum lege vero etiam alii omnes conscientiæ hostes et tyranni, peccatum, mors, maledictio, diabolus, aboliti sunt et remoti e conscientia[1].

Ab hac vero fide qua homo justificatur, omnis vel operis vel meriti cogitatio sedulo removenda est. Neque qua qualitas sit, neque qua eximia virtus, neque ulla sua dignitate nos justificare potest fides, sed tantum, qua objectum suum, Christum, apprehendat et nobis uniat. Tantum abest ut fides illa opus sit hominis, ut per fidem omnibus operibus sit mortuus, et nihil amplius se habere fatetur, quam Christum fiduciæ suæ firmissimum fundamentum.

[1] « Præsente Christo lex nullo modo dominari, sed cedere debet e conscientia, et relinquere cubile soli Christo. » — « Victoria sua fugavit Christus e conscientia nostra legem, ut amplius non possit nos confundere in conspectu Dei, in desperationem adigere et damnare. » — « Credentes liberi sumus a lege per Christum, qui de ea triumphavit per semet ipsum. » — « Quare si te angit peccatum, si perterrefacit mors, cogita vanum esse spectrum et diaboli illusionem, ut certe est. Re vera enim nullum amplius est peccatum, nulla maledictio, nulla mors, nullus diabolus, quia Christus hæc omnia vicit et abolevit. » (Com. in *Gal.*, II, 145, 153, 154, 26 etc.)

Attamen, etsi Lutherus per fidem nos omnibus operibus mortuos esse profiteatur, nihilominus longissime ab ejus mente recederet, qui justificationem et sanctificationem disjungeret. Sane sola fide homo justificatur, non legis observatione vel ullis operibus meritisque, sed quia per fidem Christus accipitur, ita ut in nobis sit, novæque in nobis auctor fiat vitæ, fieri non potest, quin ex illa fide bona opera tanquam fructus efflorescant. «Quia apprehendisti fide Christum, inquit, per quem justus es, incipe nunc bene operari, dilige Deum et proximum, invoca, gratias age, prædica, lauda, confitere Deum, benefac et servi proximo, fac officium tuum. Hæc vere sunt bona opera, quæ fluunt ex ista fide et hilaritate cordis concepta, quod gratis habemus remissionem peccatorum per Christum.» Unde facile perspicitur, e Lutheri mente arctam inter justificationem et sanctificationem esse conjunctionem, ita quidem ut homo, qui Christo veram et vivam, non fucatam et mortuam fidem adjungit, in vitæ sanctissimæ a Christo actæ communionem veniat et Christi mente inspiretur[1].

[1] «O es ist ein lebendig, schäftig, thätig, mächtig Ding um den Glauben. Er fraget auch nicht ob gute Werke zu thun sind, sondern ehe man fraget, hat er sie gethan, u. ist immer im Thun» etc. (*Vorrede auf die Ep. an die Römer*. Erl., LXIII, 125.) Cf. quæ Lutherus ad Joan. XVI notat.

THESES.

1. Memorabili illa declaratione a Luthero in comitiis wormatiensibus edita, inesse, quod rationali et liberali theologiæ faveat, recte statuitur.

2. Etsi in controversiis de cœna domini litteræ librorum sacrorum tenacissime inhærendum esse Lutherus docuerit, aliàs tamen a mediatæ revelationis notione, qualis a recentissimis theologis defenditur, non multum abfuit.

3. Lutheri de justificatione sententia non multum a Pauli apostoli doctrina dissentit.

4. Nihil in N. T. legitur de sacrificii a Christo oblati vi ad expiandum originale peccatum valente; nihil de divina Christi natura ad expiationem peragendam necessaria; nihil de infinita culpa ab hominibus peccando contracta; nihil de arithmetica ratione inter culpam et expiationem intercedente; nihil denique de activa Jesu Christi obedientia.

5. E Pauli apostoli sententia reconciliatio per Christum facta simplex est, non mutua; non Dei erga homines animus mutatur. Itaque vocabulo καταλλαγη perperam reconciliationis verbum adhibetur.

6. Quæ Lutherus de fidei sentit notione non longe absunt ab Osiandri sententia qua fides essentialis Christi justitiæ nos reddat participes.

7. Recte in eo vertitur omne justificationis momentum, ut redemtor suam sanctitatem et perfectionem cum iis communicet, qui ab eo redimendi sunt.

8. Quæ de baptismo Lutherus docet cum pædobaptismo minime congruunt. Tumultu Anabaptistarum eo perductus est ut infantium baptisma haberet necessarium acerrimeque defenderet.

9. Lutheri et Calvini de sacræ cœnæ effectu sententiæ prorsus inter se consentiunt, de ipsa sacramenti substantia valde inter se dissident.

Vidi ac perlegi.

Argentorati, VI Iduum Febr. ann. MDCCCLXVII.

Examinis moderator,

T. COLANI.

Typis mandetur,

Academiæ Argentoratensis Rector,

A. CHÉRUEL.